



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

9. Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis hoc sacramentum  
impendere?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

doctrina fundatur, non loquitur de audiente confessiones, sed de baptizante solenniter, & faciente sacrum sine debita ordinatione, ergo non incurrit ille qui hos ad non facit, cum nullam, ut ante diximus, debeamus irregularitatem agnoscere, nisi iure expressam.

R. Sufficenter exprimi, cum Capitulum in fine loquitur generaliter de exercente aliquod diuinum officium, ut enim irregularitas sit in iure fundata, non est necesse, per aliquam vocem speciatim exprimi, sed satis est, generali sermone comprehendere.

### QVÆSTIO IX.

*Utrum teneantur pastores omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrare?*

*Quæstionis explicatio.*

**D**iximus hæcenus de iis, qui tenentur ministrare hoc sacramentum, sequitur ordine, ut dicamus, quibus peste infectis ministrari debet, multa enim circa illos accidere solent, quæ pastorem ab administratione illius excusare posse vident, quæ



quæ propius considerata, non excusant, vt in progressu videbitur.

*Responsio.*

**T**enentur Pastores omnibus peste infectis sibi subditis pœnitentibus hoc sacramentum ministrare, nisi tales circumstantiæ occurrant, quæ illos ab administratione excusent.

Dico primo, teneri *omnibus sibi subditis ministrare* pro regula: Ita enim communiter seruari debet, vt in prima quæstione huius capituli ostendimus.

Dico secundo, *pœnitentibus*: quia impœnitentes non sunt illius capaces, vt si qui nolint restituere, aut occasiones p̄p̄inuas peccatorũ deserere, aut iniuriam remittere, aut per impatientiam de Deo male sentiant, aut blasphement, aut desperent, sic vt neque contritionem neque attritionem peccatorum habeant, aut alii similes.

Dico postremo: (*nisi tales circumstantiæ concurrant, quæ pastores ab administratione excusent*) pro exceptione à regula, de qua initio huius capituli aliquid diximus.

Dices. Si quid excusare posset pastores ab administratione huius sacramenti, hoc esset certitudo, quam haberent de bono statu sui subditi, sed nulla haberi

P 4 potest



Eccles. 9.

potest, quia nec ipse scire potest, an sit in gratia: *Nemo (a) enim scit, an amore cap edio dignus sit.*

R. Ad excusationem pastorum cum reliquis circumstantiis, quas posuimus initio huius capituli, sufficere certitudinem morale quam habere potest probus & vigilans circa gregem suum pastor.

### QVÆSTIO X.

*An etiam illis, qui præ vi morbi confiteri non possunt, sed tantum tundunt pectus, vel similia signa pœnitentiæ præ se ferunt?*

Quæstionis explicatio.

**E**st hic casus frequentissimus, propter infinita huius mortalis vitæ accidētia, quibus homines omni tempore subiiciuntur, sed præsertim tempore pestis, quæ morbus est acutissimus, repente omnem linguæ & reliquorum membrorum usum eripiens: Quæritur idcirco, si pastor intelligit peste infectum sic affectum esse, ut nullo modo possit confiteri, quamvis det aliqua signa pœnitentiæ, an teneatur illum accedere, & sacramentaliter absolueret, an vero illo casu à ministracione excusetur?

*Responsio*